virtutis. Cum igitur multe ⁊ varie ſint al
legorice ſpecies: oportet rurſus ſciri q tri-
bus modis allegorice ſignificat̃: ſm vene-
rabilē Bedā.ſ. reb᷒ tm̄. verbis tm̄. et reb᷒
ac verbis ſimul. Exemplū primi habet̃ in
duobus filijs Abrae: per quos iuxta do-
ctrinam apli ad Gal. iiij. duo teſtamenta
ſcꝫ vetus ⁊ nouum allegorice ſignificant̃.
Exemplū ꝟo ſecundi Eſa. xj. vbi dicitur:
Egredit̃ virga de radice Ieſſe: et flos de

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

radice eius aſcēdet. Et ſimiliter Joā. iiij. Reſpicite regiones ⁊c. Exemplū ꝟo tertij habeť in chři venditione: que ſignificať factis in venditione Joſeph Geñ. xxxvij. ⁊ verbis in Zach. xj. vbi diciť. Appenderunt mercedē meā triginta argēteis. Cū ergo dicimus ſenſum diuine ſcripture allegoricū dici ab allegoria: nō loquimur de allegoria facta per ꝟba īmediate. Talis eñ in omni ſua ſpecie ptinet ad ſenſum litteralem: ſiue illo modo ſignificeť aliq̄d hiſtorialiter geſtum: ſiue ptinens ad fidē vel mores: aut ad futuram felicitatem. Sed tūc per allegoriā intelligimus eaȝ que fit rebus tm̄ imediate. Et ſic patȝ q̄s ſenſus ſit dicendus allegoricus. Quia ꝟo ſenſus moralis ⁊ anagogicus nō habent ſpeciales difficultates: de his nihil ſpecialiter dicendū putamus.

## Cap. ſextum ꝙ in eadē littera ſunt plures ſenſus lr̄ales.

p Oſtq̄ȝ vidimus quot ⁊ qui ſunt diuie ſcripture ſenſus: reſtat vna difficultas enucleanda: An ſcȝ diuia ſcriptura ſub eadem littera continere poſſit multos ſenſus litterales hiſtoricos. De hoc enim viri magni nonnunq̄ȝ diſſentiūt. Et omiſſis alijs: etiā eorum qui ſequunť doctrinā ſancti Tho. quidā tenent ptem affirmatiuā, quidā ꝟo negatiuam. Et ſecūdam tenentes ptem mouenť ex ꝟbis eiuſdem ſancti Tho. Nam ipe in pma parte q. j. ar. vlť. querit: vtꝝ ſacra doctrina ſub vna littera habeat plures ſenſus, ſ. litteralem: allegoricum ⁊c. Et primo loco arguit ꝙ non ſic. Multiplicitas inquit ſenſuū in vna ſcriptura parit confuſiōem ⁊ deceptionem. ⁊ tollit arguendi firmitatē. Vñ ex multiplicibus ꝓpoſitionibꝫ non ꝓcedit argumentatio. ſed ſm̄ hoc alique fallacie aſſignātur. Sacra autem ſcriptura debet eſſe efficax ad oſtendendū veritatē abſq̄ȝ omni fallacia. Non ergo debent in ea ſub vna littera plures ſenſus tradi. Ecce argumentū ſancti Tho. Seq̄tur rūſio eiuſdem. Ad pmū inquit dicendū ꝙ multiplicitas hoꝝ ſenſuū nō facit equocationē aut aliā ſpēm multiplicitatis: q2 ſenſus iſti nō multiplicanť ꝓpter h̄: ꝙ vna vox multa ſignificet. ſed q2 ipe res ſignificate p voces aliaꝝ reꝝ poſſunt eſſe ſigna. Et ita etiam nulla ꝯfuſio ſequiť in ſacra ſcp̄tura cū oēs ſenſus fundenť ſup vnū. ſ. lr̄alem: ex q̄ ſolo pōt trahi argumentū. Hec ſanc. Tho. in forma. Ex q̄bꝫ arguūt q̄dā ſic. Si ſenſus multiplicarenť in ſcp̄tura ex h̄ ꝙ vna vox multa ſignificat in diuina ſcriptura eſſet aliq̄ multiplicitas. Sȝ ſi ſub eadē lr̄a ſūt plures ſenſus litterales hiſtorici: h̄ eſt q2 vna vox multa ſignificat: ḡ ſi ita eſt: in diuina ſcp̄tura eſſet m̄ltiplicitas: q̄d eſt impoſſibile. Sed iſta opinio ſuſtineri nō pōt ⁊ motiuū etiā eſt inefficax vt patebit. Primū ſcȝ ꝙ hec opinio ſit inanis: patet rōne ſupra inducta q̄ ad illa ꝟba. ego ero illi in patrē. Nā ab oībꝫ expoſitoribꝫ exponuntur ad lr̄am de Salomone. Et ap̄lus ad Hebreos. j. ad lr̄am de chřo illa verba allegat. Patet etiā auctoritate. Nam ipe doctor ſanctus prima parte vbi ſupra in corpore ar. ⁊ ſunt vltima eius verba ſic dicit. Quia ꝟo ſenſus litteralis eſt ille quē intēdit autor. Autor aūt ſacre ſcripture deus eſt: qui oīa ſimul ſuo intellectu cōphendit. nō eſt incōueniens: vt Augꝰ. dicit. xij. cōfeſſio. ſi etiam ſm̄ litteralem ſenſum in vna littera ſacre ſcripture plures ſunt ſenſus. Hec ille in forma. Itē in q̄ſtionibꝫ de po. dei. q. iiij. ar. j. loquens de ſenſu litterali ait. Omnis ꝟitas que poteſt diuine ſcripture adaptari ſalua circūſtantia littere eſt ſenſus eius. Ex q̄ infert ꝙ cū doctores ſancti exponendo pmū capitulū Geneſis in duos ſenſus diuidantur: quilibet illoꝝ eſt ſenſus diuine ſcripture. Et clarū eſt ꝙ loquitur de litterali: vt patȝ intuenti. Idē autē ſenſit Aug. xij. ꝯfeſſi. ⁊ Nico. de Lyra. ⁊ Paulus burgenſis: ⁊ multi alij ſolennes doctores. Dico ergo ꝙ m̄ltos ſenſus poteſt diuina ſcriptura ſub eadem lr̄a habere litterales: nec tamē aliquis eoꝝ pōt eſſe falſus: q2 ille ſenſus eſt litteralis: quē deus immediate per voces intendit ſignificare. Poteſt autem deus ſimul multas veritates intendere: nō autem aliquā falſitatem. Ad motiuū autem alterius opinionis reſpōſurus pmitto q̄dā. Sciendū

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ergo eſt: ꝙ aliud eſt equiuocatio, et aliud
fallacia ſeu deceptio ſm equiuocationem.
Et ſic aliud eſt multiplicitas: ⁊ aliud fal
lacia ſm multiplicitatē. Ubicunqꝫ eñ eſt
fallacia equiuocatiōis eſt etiā equocatio:
nō aūt ecōuerſo. Exempli grā Iſta dictio
canis dicit̄ equiuoca: quia mlta ſignificat
ſm rōnes diuerſas. ſ. canem terreſtrē: ma
rinū: ⁊ celeſtē. Si ergo fiat tale argumen
tū. Omis canis pōt latrare: celeſte ſidus
eſt canis. ergo celeſte ſidus poteſt latrare
Si qs neſciat argumentū diſſoluere: erit
hic fallacia equiuocatiōis: ⁊ etiā equiuo-
catio. Si ꝟo arguat̄ ſic. oīs canis eſt ſub-
ſtātia: ergo celeſte ſidus eſt ſubſtātia: erit
qdem hic equiuocatio: nō aūt fallacia eq-
uocationis: eo ꝙ omēs ꝓpoſitiōes ſint ve-
vere in omni ſuo ſenſu. Licꝫ aūt in diuina
ſcriptura nulla poſſit eſſe fallacia: pōt ta-
men in ea eſſe equiuocatio: cū multe dicti
ones equiuoce vl̄ analogice in ea ponant̄:
vt patet legenti ſacros codices. Ex mul-
tiplicitate ergo ſenſus litteralis et ſpūa-
lis: neqꝫ deceptio ſeu fallacia: neqꝫ multi-
plicitas acceſſit in diuina ſcriptura: vt te-
ſtat̄ ſctūs Tho. vbi ab aduerſarijs allega
tur. Sed ex multiplicitate ſenſuū litterali
um ſequit̄ quidē multiplicitas: puta equi
uocatio: ſꝫ nō ſequit̄ aliqua fallacia. quia
omnes ꝓpoſitiones ſacre ſcripture in omī
ſenſu quem poſſunt habere vere ſunt. Ni-
hil eñ eſt ſenſus ſcpture litteralis niſi ſit
verꝫ ⁊ adaptabile littere: ſalua eius circū-
ſtantia. Ex his aūt patet ſolutio argumē
ti. Dico eñ ꝙ illud quod ibi infert̄. ſ. ꝙ in
diuina ſcriptura eſſet multiplicitas: non
eſt impoſſibile: vt iſti credūt: ſed eſt verꝫ
qꝛuis in ea nō ſit deceptio ex multiplicita
te: vt dictuꝫ eſt. Etſi queratur quomodo
ſit iſta multiplicitas: Dico ꝙ tribus mo-
dis eſſe pōt: vt occurrit ad preſens. Uno
modo ꝑ dictionem mere equiuocā. Alio
modo per analogam. ⁊ Tertio modo ex
eo ꝙ ꝓpriū ſignificatū vnius vocis eſt figu
ra ⁊ imago (vt ita dicaꝫ) alterius rei. ſicut
Salomon fuit expſſa figura chriſti. Tūc
eñ licꝫ q̄ de tali dicunt̄ vt res eſt: de nul-
lo alio intelligant̄ niſi ſpūaliter: tamen q̄
dicunt̄ de figura vt figura eſt: immediate
intelliguntur dici de figurato etiā littera-
liter. Sed tamen iſto tertio modo nō cau
ſatur ſenſus mere litteralis ſm aliquos.

Ad intellectum autem horum ſciendū
eſt: ꝙ quando aliquis fuit figura alterius
puta Salomon chri: tripliciter pōt cōſi-
derari. Uno modo ſolū inquantū eſt figu
ra. Alio modo inq̄ntū eſt q̄dā res in ſe ꝑ ſe
ſe ⁊ ſolū. Tertio modo inquātū eſt q̄dam
res ⁊ figura alterius. Que ergo dicūtur
de Salomone ꝑmo modo. i. ſolū inq̄ntuꝫ
eſt figura chriſti: verificant̄ ſolum de chri
ſto: vt Pſ. lxxj. dicit̄. Et dominabit̄ a ma
ri vſqꝫ ad mare: ⁊ a flumie vſqꝫ ad termi-
nos orbis terrarꝫ. Iſta eñ Salomoni de q̄
dicunt̄ ꝯuenire non poſſunt. Que ꝟo di-
cuntur de eo ſolum vt q̄dam res fuit: con
ueniunt ei ſoli: ⁊ nō chriſto: ſicut ꝙ fecit tē
pla idolorꝫ. iij. Reg. xj. Que ꝟo dicunt̄
de eo vtroqꝫ modo: verificant̄ de vtroqꝫ.
ſed verius ⁊ principalius de chr̄o. ſicut eſt
illud. Ego ero ei in patrem: ⁊ ipſe erit mi-
hi in filiū. j. Paral. xvij. ⁊. j. Regū. vij. His
aūt trib9 modis poteſt aliquid dici de q̄
cūqꝫ imagine. Unde de cruce dicimus ꝙ
eſt redēptio mūdi: quo ad primū. ⁊ ꝙ eſt
lignum: quo ad ſecunduꝫ. ⁊ ꝙ eſt aliqd: q̄
ad tertium. Arguitur autem cōtra iſta q̄
dicta ſunt: ſic. Nā licꝫ ex multiplicitate ſen
ſuum litteralium in diuina ſcriptura non
ſequat̄ fallacia vel deceptio: ſequit̄ tamē
ꝙ ipſa ſit inefficax ad arguendum quando
habet plures tales ſenſus. qꝛ arguere ab
ipſo textu ad aliquem illorum ſenſuuꝫ: erit
arguere a tota diſiūctiua ad vnam ꝑtem
eius determinatā: quod ſm regulas dia-
lectice reputat̄ illicitū. Ad hoc reſpondet̄
ꝙ licꝫ a ſolo ſenſu litterali ſumat̄ efficax ar
gumentū: nō tamen ab omni ſenſu littera
li: neqꝫ ad omnē litteralē ſenſum ſumit̄ ar-
gumentū efficax: ſed ſoluꝫ ab illo ſenſu: ⁊
ad illum ſenſum qui euidenter cōſtat aut
conſtare poteſt ꝙ per voces exprimat̄ im
mediate: ꝓprie: vel figuratiue. Ad maio-
rem tamē horꝫ euidentiā ſciendum eſt: ꝙ
qñ ſub eodem textu tradunt̄ ſenſus diuer
ſi: vt tradunt ſancti quo ad ꝑmū cap. libri
Geneſeos: ſi huiuſmodi ſenſus diuerſi in
aliquo concordant: poteſt ſumi inde argu
mentū efficax: ſaltem in hoc in quo cōcor-
dant. Exemplū huius habet̄ Dan. ix. in

cōputatione.lxx.hebdomadaꝝ: vbi lz ex‑
poſitores tā latini ꝙ̄ hebꝛei diuerſimode
ſe habeāt q̄ ad terminū in q̄ hebdomade
incipiunt: ꝛ quo ad ꝓgreſſum cōputatio‑
nis: qꝛ tamē ſm oēs terminus eaꝝ vlti‑
mus iam diu tranſiuit in p̄teritū: ideo ex
ipa autoꝛitate argumentū efficax ſumitur
ad ꝯcludendū ꝙ iā diu chꝛs aduenit. Ex
q̄b; ſequit̄ ꝙ cū ſenſus litteralis ſacre pa‑
gine in quibuſdā locis nō ſit idē apō oēs
ideo pōt ꝯtingere: ꝙ ex aliq̄ ſenſu littera‑
li poſſet ſumi argumentū validū ꝯtra q̄ſ‑
dam: puta ꝯtra tenētes eundē ſenſum lit‑
teralē: nō aūt ꝯtra alios nō tenētes illum
niſi quādo voces ita illū p̄tendūt ꝙ rōna‑
biliter negari nō poteſt. Iſta aūt diuerſi‑
tas ſepe contingit inter nos ꝛ infideles.
Sunt em̄ q̄dā ſcripture textus quoꝝ ſen‑
ſus q̄ eſt verus ꝛ litteralis apud catholi‑
cos nō ſufficit vt ex eo ſumat̄ validū argu‑
mentū ꝯtra infideles ſeu hereticos. Ta‑
lis eſt ille text⁹ pſalmiſte: Verbo dn̄i ce‑
li firmati ſunt. Senſus em̄ verus ꝛ litte‑
ralis apō catholicos eſt: ꝙ ỽbo dn̄i.i. filio
patris celi ſunt firmati. Vn̄ ꝛ Ioā.j. dꝛ.
Et ỽbū erat apud deū. Et infra. Omnia
ꝑ ipm ſcȝ verbū facta ſunt. Sȝ ex p̄dicto
textu infideles nullā realē diſtinctionē in
diuinis admittētes: ſed oēm multitudinē
ꝑſonaꝝ negātes: conuinci nō pn̄t. Dicunt
em̄ ꝙ loquit̄ ꝓpheta more humano: ſicut
cū de mandato alicuius dn̄i aliqua fiunt:
dicit̄ ꝙ ſunt verbo eius facta. Sumit̄ tn̄
ex hmōi textu argumentū validū apud fi‑
deles: qui diſtinctionē diuinaꝝ ꝑſonaꝝ in
diuinis admittūt. Et ſilr̄ foꝛte argumen‑
tabat̄ aplus ad Hebꝛeos fideles ex ſenſu
quē ipi admittebant. Eſt tn̄ aliq̄s ſenſus
diuine ſcripture vbiq3 aut fere vbiq3: qui
ita patēter eſt lr̄alis: ꝙ negari niſi ꝓteruí‑
endo nō pōt. Et ex tali ſumit̄ argumen‑
tum apud oēs admittētes textū. Et ta‑
liter arguere nō eſt arguere a tota diſiun‑
ctiua ad alterā partē: cū nō accipiat̄ text⁹
vt cōis duob; ſenſib;: ſed vt limitatus ad
vnū. Quando aūt textus accipit̄ vt cōis
pluribus ſenſib; quoꝝ q̄libet ſupponitur ve‑
rus: tūc textus non tenet locū diſiunctiue
virtualis: ſed copulatiue: a qua ad ſingu‑
las partes eſt ꝯſequentia bona.

## An quilibet ſcripture textus ſm quattuoꝛ ſenſus exponat̄

### Capitulū vij

POſt p̄miſſa videre
reſtat: an q̄libet paſſus diuine
ſcp̄ture poſſit ſm oēs q̄tuoꝛ
p̄dictos ſenſus exponi vl̄ nō. Ad intelle‑
ctū aūt iſtius difficultatꝫ ſciēdū eſt ex doc‑
trina ſcti doctoꝛꝫ vbi ſup̄. ꝙ iſti q̄tuoꝛ ſen‑
ſus ſic accipiēdi ſūt. Dictū ei eſt: ꝙ ꝓpter ea
iſti ſenſus multiplicant̄. qꝛ de⁹ nō ſolū pōt
ſignificare vocib; vt hoīes: ſed etiā rebus
eo mō q̄ ꝓphete mltoties actib; ſuis futu‑
ra p̄dixerūt. Senſus ḡ lr̄alis vt dictū eſt
ille eſt quē deus intēdit imediate ꝑ voces
ſignificare. Vel eſt ille: quē prudēs vt pru‑
dēs ſeu recte accipit ex ipis vocib; imedi‑
ate. Alij ỽo ſic accipiēdi ſunt. Senſus em̄
ſpūalis vt dictū eſt: ꝯſiſtit in hoc: ꝙ que‑
dā res ꝑ alias exp̄munt̄. Ideo autē talis
ſenſus ſpūalis dicit̄: qꝛ figurari ꝯſueuit i‑
uiſibilib; ꝛ ſpūalib; aſcribi: ſicut figurare
ꝯuenit viſibilib; ꝛ coꝛpoꝛeis: ſm b. Dio‑
nyſiū. Veritas aūt quā de⁹ nobis ſic ma‑
nifeſtat. ſ. ꝑ reꝝ figuras ad duo oꝛdiat̄: ſcȝ
ad recte credendū: ꝛ recte opandū. Si ḡ
ad recte opandū oꝛdiat̄: ſic eſt ſenſus mo‑
ralis: q̄ alio noīe tropologic⁹ appellat̄. Si
ỽo oꝛdinat̄ ad recte credendū opꝫ diſtin‑
guere ſm oꝛdinē credibiliū. Sicut em̄ dic
btūs Dionyſius. iiij. ca. ō cele. hierar. ſta‑
tus ecclie militātis medius eſt iter ſtatū
ſynagoge ꝛ ſtatū eccl'ie triūphātis. Vn̄
vetus teſtamentū fuit figura noui: ꝛ nouū
ſimul ꝛ vetus ſūt figura celeſtiū. Senſus
ergo oꝛdinatus ad recte credendū: funda‑
tus in illa figuratiōe q̄ vetus teſtamentū
figura eſt noui: dꝛ allegoꝛicus q̄ alio noīe
tropicus appellat̄. Sȝ fundat⁹ in figura‑
tiōe reliq̄ dicit̄ anagogicus. Nec ea q̄ hic
dicunt̄ repugnāt dictis q̄b; aſſerimus: ꝙ
anagogia docet ſperāda. Nam ea q̄ de fu‑
tura vita credim⁹: etiā nos q̄nq3 viſuros
ſperamus. Cum ḡ q̄rit̄: an q̄libet paſſus
diuine ſcripture oīb; p̄dictis ſenſib; expo‑
nendus ſit: Dicendū eſt ꝙ non. Dicit em̄
Augu. ij. ſup Gen̄. ꝙ in quibuſdam ſolus
ſenus litteralis eſt q̄rendus. Hoc āt ma‑
nifeſte ptꝫ. Sunt em̄ multa in libꝛis cano

nicis tam veteris q̄ȝ noui teſtamēti:q̄ ſo-
lū hunc habēt ſenſum: vt ſunt duo p̄cepta
charitatis in quibꝰ tota lex pendet ⁊ pphe
vt dr̄ Matth.xxij. Licȝ em̄ in illis duobꝰ
p̄ceptis .ſ. Diliges dn̄m deū tuū ex toto
cor.tuo.⁊ primū tuū ſicut teipſum: multa
ꝯtineant̄ expoſitiōe digna: tā de obiecto
charitatis:q̄ȝ de actu ⁊ ordie eius: oīa tn̄
illa ad ſenſum ptinēt litteralē. Non em̄ p
hanc rem primus vel diliges: alie iteꝝ fi-
gurant̄. Et ideȝ eſt cōiter de alijs p̄ceptis
decalogi. In euāgelio etiā mlta tradunt̄
hoc ſolo ſenſu exponibilia: queadmoduȝ
ſunt tradita p modū p̄cepti: vt Ioā.xxiiij.
Credit̄ȝ in deū: ⁊ i me credite. Vel p mo
dū ꝯſilij: vt Matth.xix. Si vis pfectus
eſſe: vade ⁊ vende oīa q̄ habes ⁊ da pau-
peribꝰ. Silr̄ cū Luce.viij. chr̄s interpreta-
tur parabolam ſuā dicēs: ſemen eſt verbū
dei. manifeſtū eſt ꝙ illa v̄ba interp̄tatiua
nō eſt neceſſe hr̄e alios ſenſus ſpūales cū
ipſamet interp̄tatio ſit expoſitiua p̄cedē-
tis pabole. Cuȝ his tn̄ ſtat ꝙ illa pabola
forte multos habeat ſenſus lr̄ales: ſm ꝙ
ſemen pōt ſignificare multa. Idē etiā eſt
de epl̄is beati Pauli vbiqȝ vel quaſi: qr̄.ſ.
vnicū habēt ſenſum. Sic ḡ pȝ rn̄ſio ad q̄
ſitū. Vn̄ doctor ſctūs q̄libe.vij. vbi ſup̄ ſic
ꝯcludit hoc dubiū ⁊ dicit: Sacra ſcriptu-
ra qn̄qȝ exponenda eſt iſtis q̄ttuor ſenſibꝰ
qn̄qȝ tribꝰ: qn̄qȝ duobꝰ: qn̄qȝ vno tm̄. Vn̄
ea q̄ ſm litteralē ſenſum ad facta veteris
teſtamēti ſpectant: poſſent q̄ttuor ſenſibꝰ
exponi. Silr̄ ea q̄ ad litterā de chr̄o capi-
te dicunt̄: poſſent exponi lr̄aliter de chr̄i
geſtis: ⁊ allegorice referēdo ea ad eiꝰ cor
pus myſticū: ⁊ moralit̄ referēdo ea ad mo
res noſtros q̄ ſm eū reglari dn̄t: ⁊ anago-
gice inq̄ntū in ip̄o chr̄o eſt nobis iter glo
rie demonſtratū. Illa aūt q̄ lr̄aliter de ec
cleſia dicunt̄: poſſunt exponi moralr̄ ⁊ ana
gogice: nō āt allegorice: niſi forte ſm ꝙ ge
ſta p̄mitiue eccl̄ie exponunt̄ de futuro ſta
tu eccl̄ie p̄ſentis. Que v̄o ſm lr̄am dicun
tur: moraliter nō ꝯſueuerunt exponi: niſi
anagogice. Et illa que ſm ſenſum littera
lem ptinent ad ſtatū gl̄ie. nullo alio ſenſu
ꝯſueuerūt exponi. Hec ſctūs Thomas:
ex quibꝰ multa patēt ad p̄poſitū. Et vlte-
rius etiā patet quō omnia que immedia-
te p voces tradunt̄ ad ſenſum litteralem
pertinent ſiue ad mores: ſiue ad fidē: ſiue
ad ſpem ptineant.

## De dignitate ſenſus litteral. Capitulū.viij.

Q

Ueritur autem
cū mlti ſint eiuſdē littere
ſenſus: vtrū lr̄alis ſit iter
omnes p̄ſtantior. Argui
tur em̄ ꝙ non. Primo ſic.
Nam ſenſus q̄ occidit non eſt dignior vi-
uificante. ſȝ ſenſus litteralis occidit cū ſit
fundatus in lr̄a q̄ occidit.ij. Coꝝ.iij. ſpū
lis aūt viuificat: qr̄ fundat̄ ſup ſpūali ſigni
ficatione. Unde ibi ſubdit̄: Spūs aūt vi
uificat. Scdo ille ſenſus eſt dignior per
quē habemus doctrinā digniorē: vt de ſe
patet. ſed ſenſus ſpiritualis eſt hmōi. Nā
p ſenſum litteralē habemus geſta. p alle-
goricū aūt habemus ea que ptinent ad fi
dem: p anagogicū ſperāda que ad ſpeȝ:
⁊ p moralem agenda q̄ ad charitatē ſimi
liter ptinēt. Tertio finis nobilior eſt his
q̄ ſunt ad finē. ſed ſpūalis ſenſus finis eſt
litteralis qui eſt fundamentū ſpiritualis
Quarto ille ſenſus in quo aliqua falſitas
reperit̄ nō eſt dignior eo qui oīno eſt ſine
falſitate. ſed in ſenſu litterali aliq̄ inuenit̄
falſitas: puta ꝙ deus localit̄ moueat̄ de-
ſcēdēdo ad vidēdū turrim ⁊c̄. Gen̄.xj. nō
aūt in ſpirituali. Quinto illa que ſunt ite
riora: ſunt digniora tam in ſpiritualibꝰ q̄ȝ
in temporalibꝰ. In corpalibꝰ em̄ interiora
ſunt in quibus p̄ncipaliter ꝯſiſtit anima-
lium vita: vt cor. Et ſimiliter in ſpiritua-
libꝰ interiora ſunt digniora. vt patȝ de ar
ca federis domini. Exod.xl. vbi dicit̄: ꝙ
ip̄a fuit in ſancta ſanctoꝝ: alia aūt magis
vel minus appropinq̄bant ſm ordinē ſan-
ctitatꝭ. Similiter in ſacramētis eccl̄ie in
uiſibilis gratia que interius datur: digni
or eſt viſibili forma que eſt q̄ſi exterius.
Senſus aūt litteralis dr̄ eſſe ſcriptus ex-
tra librū: ⁊ ſpiritualis intus: vt patȝ Apo
calipſ.v. vbi dicit̄: Vidi librū ſcriptū in-
tus ⁊ foris: ſm expoſitores. Sexto: Hu-
mana noticia cōmuniter p̄cedit a minus

perfectꝫ ad pfectiora. in ſtudio aũt ſcpture incipitur a ſenſu litterali. Septimo: Ille ſenſus ē dignior qui ſupplet defectũ alterius, ſed talis eſt ſpũalis aliquando reſpectu litteralis. Nam dicit Grego. in mora. Cum ordo hiſtorie deficit ſeſe nobis itellectus myſticus quaſi apertis ianuis oſtēdit: ac ſi patenter clamet: Quia rationem littere defeciſſe cognoſcitꝫ: reſtat vt ad ſpiritualem ſenſũ ſine dubitatione redeatis

In contrariũ arguitur: quia ꝓpter quod vnũquodqꝫ ⁊ illud magis eſt: pmo poſter. Sed ſenſus ſpiritualis nõ eſt honorabilis niſi rõne alicuius litteralis cui concordat Nam ſi nulli litterali ꝯcordat: reprobatꝰ vt ex dictis ptꝫ. Igitꝰ litteralis inter oēs ē digniſſimus. Reſpondeo: Iſtam qſtionē bene diſputat dominꝰ Paulus burgeñ. in additionibꝫ ſuis ad Nicolaũ de lyra ſuper Geneſ. bene etiã determinat. Ex eiꝰ ergo doctrina ſciendũ eſt: ꝙ ſacra doctrina vna exiſtens ſpeculatiua eſt ⁊ practica. Loquendo ergo de ea vt eſt ſpeculatiua: dico ꝙ ſēſus litteralis ⁊ ſpũalis poſſunt dupliciter comparari. Vno modo vniuerſaliter reſpectu totius ſcripture in communi. Alio mõ particularitꝰ: ſm pticularia loca ſcripture. Si comparētꝰ pmo modo: ſic vno modo pēminet ſēſus litteralis: ⁊ alio mõ ſpũalis ⁊ litteralis ſunt equalis dignitatis Nam ſicut dicit Ariſt. j. de anima: vna ſcientia loquendo ꝺ ſpeculatiua eſt dignior alia: vel rõne materie de qua tractat vl ratione ſue certitudinis. Vñ dicit phs in xj. de animalibꝫ: ꝙ minimũ qḋ pōt haberi de cognitione rerꝫ altiſſimarꝫ: deſiderabilius eſt ꝙ certiſſima cognitio que habetur de minimis rebus: puta ꝙ duo ⁊ tria ſunt quinqꝫ. Itaqꝫ ſi vniuerſalr iſti ſenſus comparentꝰ: ſũt equales quantũ ad dignitatem materie de qua agitꝰ. De eodeꝫ eñ agitur ſm vtrũqꝫ ſenſum: ſcꝫ de deo et de creaturis ſm ꝙ in deum referuntꝰ. Quantum ꝓ ad certitudinē: ſic dignior eſt litteralis. quia ab eius certitudie depēdet aliorum ſenſuum certitudo. Vñ dicit Aug. de doctrina chriſtiana. Nihil eſt quod occulte in aliquo loco ſacre ſcripture traditꝰ: qḋ non alibi manifeſte exponatꝰ. Vñ ⁊ ſm ſanctũ Tho, vbi ſ. Spũalis expoſitio ſp ab aliqua litterali debet habere fulcimentum. Si vero comparentur particulariter: ſic clarum ⁊ apertum eſt ꝙ plerũqꝫ ſpiritualis litteralem: dignitate vincit materie ſubiecte: ſicut cum legitur de abraaꝫ Geneſ. xxj. ꝙ duos filios habuit: qḋ vt dictum eſt ſupra: exponitꝰ ab Apoſtolo Gal. iiij. allegorice de duobꝫ teſtamentis. Patet enim ꝙ ſenſus allegoricus ibi dignior eſt hiſtoriali. Si vero loquamur de ſacra ſcriptura ſm ꝙ comprehendit ſub ſe practicam ſcientiam: ſic etiam illi ſenſus poſſunt comparari vniuerſaliter ⁊ particulariter. etſi quidem vniuerſaliter fiat comparatio: eiuſdem dignitatis ſunt vterqꝫ. Illa enim ſcientia practica vel etiam ars dignior eſt que ad vlteriorem finem ordinatꝰ. ſic ciuilis dignior eſt militari. j. ethicō. eo ꝙ pma habeat p fine bonũ ciuitatꝫ: ſecũda ꝟo bonũ exercitꝰ. Conſtat aũt ꝙ finis vltimꝰ totius ſacre doctrine vt ē practica eſt vnꝰ ⁊ idē ſm vtrũqꝫ ſenſum: eterna. ſ. felicitas. Si aũt cōparentꝰ ſcḋo mõ: ſic dico ꝙ in qbuſdã locis ſenſus ſpũalis ē dignior tanqꝫ ꝓpinquior vltimo fini: vt patet in multis preceptis cerimonialibꝰ ſicut cum dicitꝰ Deut. xxv. Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas. Qḋ exponitꝰ ab apoſtolo Cor. ix. ſpiritualiter ꝺ predicatore: qui oſtendit ꝙ ſenſus litteralis modice ſit vtilitatis in hoc paſſu: dicēs Nunquid de bobus cura eſt deo: qſi diceret: Non habet deus talem curã de bobꝫ vt ꝓpter eos daret legem homini qui eſt boue dignior. Sed ſicut ſubiungit aplꝰs ꝓpter nos vtiqꝫ dicit. Sunt tamen multe alie conſiderationes: ſm quas ſenſus litteralis pēminet ſpũalibꝫ: quarum vna eſt ex parte extenſionis: quia. ſ. quelibet particula ſcripture habet ſenſũ litteralē: nõ aũt ſpũalem: vt ptꝫ ex dictis. Alia vero eſt ex parte vniuerſalitatis ſeu communitatis. Nam ſenſus litteralis eſt cõmunior: quia oīs pcipiens ſpũaleꝫ pcipit neceſſario litteralem: ſed nõ econuerſo. Vñ nullus eſt adeo rudis qn ex litterali ſēſu fructũ poſſit reportare. Iuxta illud Aug. de ſentē. p ſ pe. Doctrina inqt aplica ē tãſalubrꝫ atqꝫ vitalis vt p capacitate vtentiũ neminē ſui relinqt exortem: ſiue eñ ſint parui ſiue

magni: habent in ea vnde alant̃ ⁊ vnde ſa
tient̃. Hec ille. Ad argumenta aũt facta
Reſpondetur. Et ad Primũ quidē dico
ꝙ ap̃ls nõ intelligit ꝑ lr̃am ſenſum littera
lem: neqꝫ ꝑ ſpm̃ ſenſum ſpũalem. ſed ꝑ lit
teram intelligit legem moyſi: que data fu
it in litteris ſcriptis in tabulis decalogi:
⁊ libris moyſi. Dicit̃ aũt hec lex occidere
occaſionaliter inquantũ faciebat pcti no/
ticiam: ex qua noticia occaſionaliter auge
bat̃ peccatũ ex malicia humana. Nitimur
em̃ in vetitũ ſemꝑ: nõ aũt dabat grãm. q̃a
ſacramẽta veteris legis nõ cõferebãt gra
tiam. Et iõ dicitur ꝙ littera occidit. Per
ſpm̃ aũt intelligit legem nouam datam i
ſpũſancto in forma ignis: ⁊ inuiſibiliter in
cordib9 hominũ: iuxta ꝓphetiam Hiere.
xxxj. Dabo inquit legem meã in visceri/
bus eoꝝ ⁊ in cordib9 eoꝝ ſcribã eã. Hec
lex dicit̃ viuificare. quia eſt lex gratie ſanã
tis vulnera peccatoꝝ. Sacramẽta em̃ no/
ue legis ſunt cauſa gratie. Ad ſc̃dm̃ aũt
dico: ꝙ in argumẽto aſſumit̃ vnũ falſum
ſcz ꝙ per ſenſum lr̃alem nõ tradant̃ nobiſ
credenda: ⁊ ſperanda: ⁊ agenda. ſed ſoluz
geſta. imo dico ꝙ ꝑ illuz tradunt̃ geſta: vt
patet de ſe. Et ſimiliter gerenda ſeu faciẽ
da. vt patz de duob9 preceptis charitatis.
Et ſimilit̃ ſperãda. vt Apoc. ij. vbi dicit̃:
Eſto fidelis vſqꝫ ad mortẽ: ⁊ dabo tibi co
ronam vite. Et ſil'r credenda. vt Deute/
ro. vj. Audi iſrael: deus tuus deus vn9 ẽ
Et ſimiliter Mat. xxviij. docemur trini/
tatem pſonarum: cum dicit̃: Baptizãtes
eos in nomine patris: ⁊ filij: ⁊ ſpũſſancti.
Ad tertiũ dico: ꝙ ſenſus litteralis non ẽ
ꝓpter ſpũalem: ſicut ꝓpter ſuum finem: q̃
uis ſit fundamentũ eius. Nam ⁊ chriſt9 ẽ
fundamentũ apoſtoloꝝ: ⁊ ſubſtantia ẽ fũ
damentũ accidentium: ⁊ tamen talia fun
damenta non ſunt ꝓpter ea que in eis fun/
dantur: ſicut propter ſuos fines principa
les quicquid ſit de fundamento in mate/
rialib9. Ad quartum dico: ꝙ neqꝫ in lit/
terali neqꝫ in ſpũali ſenſu diuine ſcripture
eſt aliqua falſitas. Sciendum tamen eſt
ꝙ in diuina ſcriptura multa traduntur pa
rabolice ſeu metaphorice id eſt ſub aliq̃ ſi
militudine rerum corporalium. Et hoc ꝓ
pter duo. Primo propter neceſſitatẽ. Si
cut enim dicit beatus Dionyſius. j. ca. ce/
leſtis hierar. Debilitas noſtre cognitio/
nis tanta eſt: ꝙ diuina intelligere non po/
teſt: niſi varietate ſacroꝝ velaminũ cir
cũuelata ſint. Secundo ꝓpter vtilitatem
vt ſcz rudes qui nõ poſſunt diuina etiam
velata capere. eo ꝙ ſola corꝑalia q̃dãmo/
do capiunt ſub talib9 corporaliũ ſimilitu/
dinib9 doceant̃. Vñ ſaluator Matt. xiij.
poſtq̃ ꝓpoſuit ſimilitudinem dicẽs. Exit
q̃ ſeminat ⁊c. ait diſcipulis ad partẽ. Vo
bis datum eſt noſſe myſteriũ regni dei: ce
teris aũt in parabolis. Nec tñ in talib9 eſt
falſitas. q2 litteralis ſenſus non eſt is quẽ
voces ꝓprie exprimunt: ſed quẽ metapho
rice. Cum em̃ dicit̃ deus deſcẽdere ad vi
dendum: non eſt ſenſus litteralis: ꝙ tan/
q̃ magnus q̃dã dñs vadat ſpaciatũ paſ/
ſim ſed ſenſus eſt: ꝙ deus ad modũ hoĩs
ſic facientꝭ ſe habeat. Et nota ꝙ q̃ñ diui
na ſcriptura aliquid parabolice d̃ deo tra
dit: vtit̃ ſimilitudine creaturaꝝ vilium: et
magis diſtantium a deo. ne ſcilz credat̃ ꝙ
ſenſus ſcripture ſit ille quẽ voces ꝓprie ex
primũt. Et idem credo in qualibet ꝑabo
la: ꝙ ſcz ſemꝑ diuina ſcriptura vtit̃: aut ta
libus verbis: aut tali ſimilitudine: ꝙ ani/
mus cuiuſlibet prudentꝭ intelligit cõiter
ꝙ talia nõ dicunt̃ ꝓprie: ſed metaphorice.
Et hãc doctrinã intendit ſctũs Tho. j. p/
te. q. j. ar. ix. in rñſione ad tertiuz argumẽ
tum: vbi dicit. Sicut docet Dionyſi9. c.
ij. celeſtis hierar. magis eſt cõueniens ꝙ
diuina in ſcripturis tradant̃ ſub figurꝭ vi
lium corpoꝝ q̃ȝ corpoꝝ nobiliũ: ⁊ hoc pro
pter tria. Primo quia ꝓpter hoc magꝭ li
berat̃ humanus anim9 ab errore. Mani
feſtum em̃ apparet: ꝙ hec ſm̃ ꝓprietatem
non dicunt̃ de diuinis qđ poſſet eẽ dubiũ
ſi ſub figurꝭ nobiliũ corpoꝝ deſcriberent̃
diuia: maxime apud illos qui nihil aliud
a corporib9 nobilib9 excogitare nouerunt.
Sc̃do quia hic modus conuenientior eſt
cognitioni quam de deo habemus in hac
vita. Magis enim manifeſtat̃ nobis de
ipo q̃d non eſt q̃ȝ q̃d eſt. ⁊ ideo ſimilitudi
nes illaꝝ reꝝ que magis elongant̃ a deo
veriorẽ nobis faciũt̃ exiſtimationẽ ꝙ ſit ſu
pra illud quod de eo dicim9 vel cogitam9
Tertio q2 ꝑ huiuſmodi diuina magꝭ oc

cultanť indignis. Hec ille. Ad quintū dico: ꝙ ſi liber ſacre ſcripture de quo habeť Apoca. v. ⁊ Ezech. ij. dicať ſcriptus foris rōne ſenſus litteralis: nō tñ dr̄ ſcriptꝰ intus ſolū rōne ſpūalis: imo rōne litteralis eſt ſcriptus intus ⁊ foris: qꝛ ꝑ ſenſum litteralē traduntur nobis quedā ſumme [illegible]tima ⁊ ſecreta ꝑtinētia ad ſenſum allegoricū ⁊ anagogicū. Vñ ex hoc habeť: ꝙ lr̄alis ſit potior: vtpote vniuerſalior ⁊ cōmunior: iuxta illud ad Ro. j. Sapiētibꝫ ⁊ inſipientibꝫ debitor ſum. Ad ſextū dico: ꝙ ſicut ſtudiū humanaꝝ ſcientiaꝝ incipit a ꝓncipijs naturaliter notis: ſic ſtudiū ſacre ſcripture recte ordinatū incipit ab articulis fidei diuinitus in ſacra ſcꝑtura reuelatis: qui fundanť in eius ſenſu litterali. Ex his vna cū alijs in ſacra ſcriptura litteraliter traditis: ſeu ꝑ verā ⁊ rectā rōnem inuentis ꝓcediť ad aliqua alia probanda. Per iſtū aūt ꝓceſſum deueniť ad oīa que in ſacra theologia veraciter traduntur a magiſtris: que oīa ad litteralē ſenſum ipiꝰ ſcripture reducunť. Ex his aūt pꝫ: ꝙ ſtudiū ſcripturaꝝ a ſenſu litterali icipit: ⁊ in his que ab eo argumentatiue deducūtur ꝯſummať. Ad argumentū ergo cū dicit: ꝙ cognitio noſtra incipit ab imꝑfectꝫ: verū eſt: quo ad ſimpliciū intelligentiā: que ab vniuerſalioribꝫ incipit. Noticia aūt cōpleta incipit a ꝑfectioribꝫ. Naꝫ incipit ab intellectu .i. habitu ꝓncipioꝝ: ⁊ terminať ad ſcientiā .i. habitū ꝯcluſionū. Ad ſeptimū dico: ꝙ ex illa autoritate Gregorij nō debemus exiſtimare ꝙ ſenſus litteralis ī aliquo loco ſcꝑture deficiat: ſic ꝙ vel falſum includat: vel ſit penitus inutilis. Nā ex ꝓmo infirmaretur tota diuine ſcripture autoritas: vt Aug. dicit. Secundū etiam eſt ꝯtra apl'um dicentē ad Rom. xv. Quecūqꝫ ſcripta ſunt: ad noſtrā doctrinā ſcripta ſunt. Sed intēdit beatus Gregorius: ꝙ ſenſus aliqñ qui per voces proprie exprimitur falſus eſt: quem litteralē appellare: (licꝫ improprie) aliquo modo poſſumus. Et quādo incidit talis ſenſus: vt puta cum dicitur hircū habere tātū vnū cornu: tunc ad ſenſum myſticū oportet recurrere. id eſt ad litteralē: ſꝫ improprie ꝑ voces expſſum: qui ideo myſticus dicitur: quia parabolicus: quis vere ſit litteralis Et hoc idem aſſerit beatus Hieronymꝰ dicens. Cum hiſtoria aut impoſſibilitatē habet: aut turpitudinem: ad altiora trāſmittimur: id eſt ad ſenſuꝫ myſticū modo expoſito. Et hec de queſtione.

## Quis ſenſus litteralis ſit potior.

### Capitulū .ix.

Vltimo reſtat: vt circa ſenſum litteralem adhuc vnā ſoluamꝰ difficultatem. Cum eñ idem textus plures habeat lr̄ales ſenſus: vt cū ab expoſitoribꝫ plures expoſitiones traduntur quenam erit cenſenda potior: Ad hoc ſic reſpōdendū eſt. Dico eñ ꝙ litterales expoſitores aliqñ tradunt ſenſus incōpoſſibiles: ⁊ tūc neceſſario alter ſeu vnus eorū eſt litteralis. qꝛ vnꝰ eoꝝ neceſſario eſt falſus. Exemplum huius habeť Dañ. x. vbi angelus miſſus ad docendū Danielem: dicit ei. Princeps regni Perſaꝝ reſtitit mihi. xxj. diebꝫ. Ubi ꝑ ꝓncipē Perſaꝝ ſm btm̄ Grego. intelligiť angelus bonus qui habet curā illius regni q̄ nolebat ꝙ filij iſrł liberarenť ⁊ egrederentur de regno Perſaꝝ in quo multa bona faciebāt docēdo fidē vnius dei. Sed ſm aliquos alios fuit angelus malus qui reſiſtebat bono. Quid aūt hoꝝ veꝝ ſit nō ſpectat ad p̄ſentem ꝯſiderationē. Cum vero ſenſus plures ſunt cōpoſſibiles: ille videť ceteris paribꝫ magis p̄ferendus qui magis innitiť rōni. Vñ quo quiſqꝫ magis rōni innitiť: eo maioris auctoritatis eius verba eſſe videnť: vt dr̄ in decretis. diſt. xx. capi. decretales. Item qui magis cōſonat littere. Vñ ſm Augu. de doctri. chriana. dubia ſunt determināda ſm ſententiā: que ex ſcripturarū planioribꝫ locis accipiť. Planiora autē loca ſunt in quibꝫ planior eſt conſonantia ad textū. Item p̄ferendus eſt quē tradūt ſancti his qui a non ſanctis traduntur. Vñ in decretis in p̄dicto ca. dicit. In ſacraꝝ litteraꝝ expoſitionibꝫ ſancti doctores ſummis pontificibꝫ p̄ponunť. Maxime autē

Et nõ ſancti ſint infideles: ꝑdicta intelligũtur habere veritatẽ. qꝛ ſemꝑ ſenſus ſctõꝝ imo catholicoꝝ oĩm ꝓferẽdus eſt. Tum qꝛ magis ꝓſumendũ eſt ꝙ illi q̄ in gremio eccleſie ſunt: cui eccl'ie chr̄s ꝓmiſit ſpũm veritatis: veꝝ ſenſum habeãt ſcripturaꝝ q̄ȝ infideles qui ꝑitati fidei cõiter aduerſant. Tum ne ꝑ hoc detur infidelib' occaſio credendi ꝙ ipi melius q̄ȝ catholici ſacraȝ ſcripturã nouerint explanare. Quia tñ vbi pluralitas ſenſuũ litteraliũ occurrit: raro ꝯtingit ꝙ vnus eoꝝ ſm oĩa ꝑdicta antecellat reliq̄s: ſȝ potius vnus eoꝝ ꝑcellit in vno: alius in alio. Idcirco in talib' videt' habere locũ illd̄. ad Rom. xiiij. Unuſq̄ſq; in ſuo ſenſu abundet: ſalua ſꝑ ſctõꝝ reuerentia ꝛ autoritate. His igit' ꝑlibatis iam ad expoſitionẽ ſctõꝝ euãgeliorum accedamus a domica ꝑma de aduentu inchoantes.

Finit tractatus Primus

# Tabula ad euangelia perquirẽda in Aurea roſa iuxta morem Curie.

Qvicunq; euãgeliũ ſm curiã Romanã currens in hoc opuſculo ſuo loco minime inuenerit annotatũ: ad ſubiectã tabulam recurrat.

Igitur dñica ꝑma in aduẽtu euãgeliũ curiale req̄re in dñica ſcd̄a i aduẽtu Dominica aũt ſcd̄a req̄re in dñica tertia eiuſdẽ aduentus. Dñica aũt tertia req̄re in dñica.iiij. Dñica aũt q̄rta req̄re in ſabbato q̄tuoꝛ tẽpoꝝ. In octaua aũt epiphanie req̄re in fine libri. Feria tertia ꝑme hebdomade i q̄dragesima require in ſcd̄a q̄dragesime. Dñica aũt ſcd̄a in q̄dragesima req̄re in ſabbato ꝑcedenti. Sabbato aũt poſt dñicã in paſſiõe req̄re in fine libri. In vigilia ꝓo aſcenſiõis req̄re in ſabbato añ dñicã palmaꝝ. Notandũ eſt ꝓo ꝙ dñicã in q̄ eſt feſtũ ſctẽ trinitatis: curia appellat dñicã ꝑmã poſt Pentecoſten: ita ꝙ ꝑma dñica poſt feſtũ trinitatis eſt ſcd̄a poſt Pentecoſten. Igit' dñica ſcd̄a poſt penthecoſtẽ req̄re euãgeliũ curiale i dñica ſcd̄a poſt feſtũ trinitatꝫ Dñica aũt tertia poſt Pentecoſten: require in dñica t'tia poſt feſtũ trinitatꝫ: ꝛ dñica.iiij req̄re in.v. ꝛ.v. req̄re in. vj. ꝛ. vj.i.vij. ꝛ.vij in.viij. ꝛ ſic deinceps vſq; ad dñicã. xxiij.

Dñica aũt.xxiiij.poſt pente.req̄re i fine libri. In feſto ãt ſ.Tho.martyrꝫ req̄re dñica.j.poſt octauas paſce Euãgeliũ ãt ſcti Anto.de padua ordinis bti p̄ris Frãciſci req̄re in feſto bti p̄ris Dñici. Sctõrũ ꝓo Ciriaci Largi ꝛ Smaragdi req̄re in die aſcẽſionis. Scti aũt Petronij req̄re dñica.j.poſt octauas paſce. Bti ꝓo p̄ris Frãciſci req̄re in feſto ſcti Matthie

In cõi ꝓo apľoꝝ euãgeliũ: Hec mãdo vobis: req̄re in feſto Simonis ꝛ Iu. Et euãgeliũ: Ecce mitto: in feſto Tiburtij et Ualeriani. Et euãgeliũ: Ecce nos: in cõmemoratõe bti Pauli. Et euãgeliũ De ſignauit: in feſto bti Luce In cõi ãt vni' martyris euãgeliũ: Nolite arbitrari: req̄re in feſto ſcti Ualentini. Et euangeliũ Nihil opertum in feſto ſcti Theodori. Et euãgeliũ: Si q̄s venit ad me: req̄re in fine libri. In cõi ãtẽ plurimoꝝ martyꝝ euãgeliũ Cõfiteor: req̄re i feſto bti Matthie. Et euãgeliũ: Qui vos audit: req̄re in feſto ſcti Felicis. Et euangelium: Sedẽte: req̄re in fine libri Et ſil'r euãgeliũ: Ue vobis. In cõi aũt ꝯfeſſoꝝ euãgeliũ: Uos eſtis: req̄re in feſto bti patris Dñici. Euangeliũ aũt: Uidete: req̄re i fine libri. Et ſil'r euangeliũ: Nolite timere. Cetera nõ mutant'.

Finit Tabula.